

Alia ejusdem Pontificis circa fidelitatem ab Alexandrinis præstandam Regi Sicilia Imperatori electo.

156

MCCXIX.

Honorius Episcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis potestati, & populo Alexandrino salutem, & Apostolicam benedictionem. Devotionis vestrae literas paterna benignitate recepimus, & earum tenorem peripeximus diligenter. Fidelitatem 10 vestram dignis in Domino laudibus commendamus, quod vos tamquam devoti, ac fideles Ecclesiae Romanae filii ei placere studeatis (1). Super eo igitur quod nostrae voluntatis scire beneplacitum petiistis, utrum cum videlicet vos vellent cum aliis amicis nostris de Lombardia carissimo in Christo filio illustri Regi Siciliae in Romano Imperatore electo fidelitatis juramentum præstare, si ab eo fueritis 20 requisiti, præstare possitis, vobis duximus presentibus respondendum; quod si alii cives Lombardiae dicto Regi fidelitatis præstiterint juramentum, sustinemus ad præsens pro pace vestra, ut, si ab ipso Rege fueritis requisiti, juretis eidem, salvis tamen in omnibus fidelitate, ac jure sacrosanctae Romanae Ecclesiae matris vestrae. Datum Reatis II. cal. septembris Pontificatus nostri anno quarto.

(1) *In exemplari V. G. Burgontii vestrae gratiae cooptatis, inscite omnino.*

Unio Plebis de Calamagna cum Archipresbiteratu Ecclesiae Aquensis ab Anselmo Episcopo præscripta.

157

MCCXX.

In nomine Domini amen. Noverint presentes pariter, & futuri, quod ego Anselmus Dei gratia Aquensis Episcopus licet immeritus cognoscens non solum ex concessione beat. mem. Restaudi Prædecessoris mei, verum etiam ex confirmationibus fel. record. Adriani Papæ, nec non DD. Hugonis, & Lotarii Regum, Plebem de Calamagna cum rebus 40 spectantibus ad eandem ullo mediante ad Aquensem Ecclesiam pertinere, ac in usus Canonorum ejusdem deputatam fuisse a longis retro temporibus per eosdem, considerans istis diebus easdem Ecclesias per Alexandrinos, & hostiles incursum damna incurfisse non modica, & jacturas; & utriusque indemnitati super his deliberatione habita cupiens in posterum providere, vicinitatem locorum, defectum Parochiae, necessitatem imminentem, & evidentem 50 utilitatem attendens nihilominus earumdem, dictam plebem duxi alias Aquensi Ecclesiae uniendam, & nunc de fratrum meorum consilio, videlicet Othonis Archipresbiteri Aquensis, Odicionis de Meladio &c., easdem unio in hanc formam, ut qui nunc est, vel a modo fuerit Archipresbiter Aquensis Ecclesiae sit Archipresbiter ejusdem Ecclesiae, Archipresbiteratus gerens officium in spiritualibus in utraque, ita quod unus, & idem existat Archipresbiter utriusque, relicta ejusdem plebis omnino jura in 60 temporalibus Massariis Aquensis Ecclesiae, qui pro tempore fuerint constituti. Factum anno 1220. Domini nostri Jesu Christi, indictione 8. in capitulo

Ecclesiae Aquensis, die Mercurii 5. februarii (1). Interfuerunt testes D. Belingerius, D. W. Dodonis, Vastapalea, Petrus Pardus, Anselmus Musius. Ego Jacobus Imperialis Aulae Notarius interfui, & mandato dicti Domini Episcopi scripsi.

(1) *Quinta dies februarii hoc anno bissextili erat dies Jovis: nisi forte hic omissum fuerit exeunte, ut verisimilius est. Quinta enim dies exeunte februario fuit dies Mercurii.*

Sententia de vinea in Montabono clientelari Ecclesiae Aquensi.

MCCXX.

158

Anno a Nativitate Christi MCCXX., indictione VIII. in civitate Aquis, die Sabati II. intrantis madii. Cum causa ageretur coram Willelmo Dodonis, & Uberto de Burgo per curiam electis, & magistro Henrico assessore eorum inter D. Agradium Sindicum Aquensis Ecclesiae ab una parte, & Natam de Montabono ex alia, quae talis erat: petebat siquidem ipse Agradius nomine Aquensis Ecclesiae a Nata nomine medietatis quarti pro indiviso tres congios vini provenientis Aquensi Ecclesiae ex vindemmiis proxime preteritis de vinea Natae jacente in territorio Montisboni in Casanova, & ut de cetero dimidiam quarti pro indiviso ipsi Ecclesiae præstaret: Et Nata ex adverso respondebat se nolle dare, nec debere quartum; ideo quia dicebat Archipresbiterum Aquensis Ecclesiae cum consilio 30 Canonorum, & Gastaldi de Montebono terram, in qua est illa vinea, sibi affictasse, antequam avinere, quod tunc utile fuit Ecclesiae propter sterilitatem terrae. Propterea dicebat godiam dictarum vindemmiarum fuisse tantummodo congios undecim. Prædicti Willelmus, & Ubertus visis, & auditis utriusque partis rationibus, & allegationibus per assessorem suum Natam condemnaverunt actori in modium, & in quarterium vini, & ut de cetero 40 quartum pro dimidia ex illa vinea Aquensi Ecclesiae præstet; & chartam inde fieri jusserunt coram testibus ad hoc vocatis Ottone Long, Jacobino Buccaz, Henrico Pipere, & Henrico Callea. Cohærentes sunt illi vineae Otto Dora, Gropetus, idem Nata, & Rodulfus Belleratus. Ego Mattheus Not. Pal. rogatus interfui, & inde chartam scripsi. Ego Ubertus Galea de Aquis Not. Pal. mandato D. Alberti ec. Ego Bonfilius Not. Pal. ec.

Delegatio Bocaccii, & A. Brunæ ad curiam Regis.

MCCXX.

159

Anno Domini MCCXX. indictione VIII., die Mercurii VI. octobris (1). In Aquis utrumque consilium habitum per campanas constituit Henricum Botatium, & Arnaudum Bruna suos missos, & syndicos ad supplicandum Domino Regi, impetrandum, & contradicendum, & omnia facienda, quae utilitati civitatis Aquensis cognoverint aliquatenus expedire, promittendo quidquid per eosdem 60 syndicos in ejusdem curia gestum fuerit ratum tenere, & nullo in tempore contravenire. Unde jussit mihi chartam fieri, ut supra. Interfuerunt testes